Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 359
Quelle:
Copyright:

mendis careat, varia Editionis in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 459. errata corrigi possunt. Ita mox in Praef. *libens animo* rectius est, quam *libenti animo*, et pro *Cætera gemmatis* manifeste reponendum *Cerea*. Sic in ipsius Operis ingressu legendum *Dominumque tonantem* pro *domumque*, et fortasse *foetorem linquite* pro *paedorem*. Pro *toxica fucis* noster habet *toxica sucis*, id est, *succis*, nisi forsitan *Sedulius* scripserit *sulcis*. *Meliore cibi* pro *cibo*, et *silvamque parentem* pro *patentem* typi σφαλματα habeo, &c. Corruptissimum est in Codice *Carmen ad Theodosium Aug.* idque ad Operis calcem positum. Post quod ridicule Librarius:

Finis adest operis. mercedem posco laboris.
Quia precium sanguinis est. Maria bilf.

CCXXXI.

U.636 Codex chartaceus lat. Απογραφον initio Sec. XVI. paratum, Folior. 149. 8. eleganti manu, rubricis distinctum, de cujus Possessoribus sub finem dicam, exhibet I. *Aratoris* Eccl. Rom. Subdiaconi a. 556. vivis exemti *Historiam Apostolicam* versu heroico redditam, cujus bina Exempla jam *Vol.* I. P. I. *col.* 421—27. protuli. Initium hic a gemina Elegia ad *Florianum* Abb. et *Vigilium* Papam eodem modo, ut ibi in Exemplo II. inscripta. Textum a prima manu quandoque mendosum secunda passim consanavit, sunt tamen etiam a prima manu non pauca, quibus lectionem *Bibl. PP. Lugd.* T. X. p. 125. expurges, et quidem eadem fere, quae ad priora illa Exempla notavi. Liber uterque non decurrit continuo, sed Particulae argumentis rubro exaratis distinguuntur. Ad calcem legitur: *Historie Apostolicę Aratoris Subdiaconi finit Liber 2us*. Accedunt tria Corollaria: 1) Elogium:

Versibus egregijs decursum clarus Arator
Carmen apostolicis cecinit insigne (praesigne?) *coronis*,
Historiamque prius proponens cautus ubique
Substituit typicę sensatim verba figurę.
Lingua canora bonum testatur iure Poetam.
Mysticus ingenium sic indicat ordo profundum.

Autorem ignoro. 2) Narratiuncula illa de oblatione et publica recitatione hujus Operis, quam in Codice *Vatic.* inventam protulit *Bellarminus de Scriptt. Eccl.* quaeque prostat in *Bibl. PP. cit.* sed emendo e Codice meo: *Surgentio uiro uenerabili primicerio scolę notariorum* pro *Sargentius vir* &c. certe enim Papa *dedit collocandum*. Item *religiosorum turba* interfero: *simul et laicorum, nobilium*